



1. *Musei s. Joh. diff. in Epist. ad Romanos Cap. IX. v. 19-23. june 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena. june 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie. june 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis, june 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo, Helms. 1669.*

DISPUTATIO
MENSTRA SECVNDA.

DE CHRISTO

EXALTATO EX ESA.

LIII. CAPITIS PARTE AL-

TERA PROPOSITA. IN QVA

Deo vno Trinoque adiuuante, sub præsidio GI-

ORGII MYLII D. & Professoris Theologi

M. MATTHÆVS HENRICVS Au-

gustanus VI. Iunij loco & hora con-

fuctis, exercitij gratia respon-

dere conabitur.

August. de fide & Symb. c. 6.

Non est quidem fragilitatis nostra, calorum secreta discutere.

Sed & fidei nostra est, de Dominici corporis dignitate

sublimia & honesta sapere.



J E N A

Typis Tobia Steinmanni. 1589.

A M P L I S S I M O P R V -
D E N T I S S I M O Q V E V I R O D.
M A R C O G E R S T E N B E R G E R O,
aulæ Vinariensis Cancellario integerrimo, Domi-
no & amico suo colendo.

D E R O P P O R T V N E A C C I D I T
amplissime vir, ut quando officij & gratitudinis causa hoc
tempore mihi compellendus es, materia hæc præsens, de Ex-
altato Christo, tibi consecranda veniat. Enimvero cum ni-
mè sis in eorum numero, qui de se altissimè sapientes, de Christo quàm
humilimè sapiunt; imò tantò sibi plus ad existimationem sapientiæ accedere
persuasum habent, quò plus gloriæ & honori Christi derogant: sed & ipse
de Christo sentias, quàm honestissimè: & ut similiter de eodem à plurimis
sentiat, pro viribus semper labores: dignissimus sanè es, cui huius
materiæ fiat dedicatio: Non testimonij quidem ergò, quo tibi nostro non
est opus, cum valeas passim publico: nec admonitionis causa; cum sis spon-
te tua excitatissimus: sed significandi gaudij nostri gratia, quod capere est
necesse eos, qui non sunt $\pi\epsilon\iota\sigma\upsilon\mu\alpha\chi\omicron\iota$ aut $\delta\omicron\zeta\omicron\mu\acute{\alpha}\sigma\iota\upsilon\epsilon\varsigma$, cum Maiestatì
& honori Christi favere in hac sentina mundi, & squalore seculorum vi-
dent eos etiam, quos Regno Christi vel maximè invidere Satanam vero est
consentaneum. Accipe igitur, amplissime vir, & æqua mente, queso,
accipe exiguum hoc amoris atq; observantiæ erga te nostræ pignus, ut fru-
dium nostrum mediocre, in re maxima & augustissima positum, patro-
cinij tui autoritate sic fruatur, ut in maiores conatus elaborandi, subinde
novos alacritatis stimulos accipiat. Quod ut gratia sua & Spiritu I E-
S V S noster, F I L I V S D E I A L T I S S I M I, E X A L-
T A T V S S V P E R O M N I A efficiat, teq; & suo honori, &
harum regionum saluti incolumem diu conseruet, ex
animo precor. Data Calend. Iunii

1589. Iena.

T. Ampliss. dominationis
Studiofissimus.

C. Mylius D.



Humiliati Christi statum, conuenientissimo ordine, Exaltationis gloria sequitur.

2. Est hic ordo ille, qui non in genere tantum Regni Dei proprius ac germanus est, ut humiliationem sequatur exaltatio: sed quem suæ conditionis etiam necessitate quædam proprium esse Christus ipsemet ostendit;

cum oportuisse inquit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.

3. Apostolus hunc ordinem ita exquisiti iuris in Deo esse pronuntiat, ut hinc commune imitationis exemplar pijs omnibus petendum esse moneat.

4. De hac tractationem instituturis, illud quidem ingenuè est fatendum, nunquam perfecte atque ex toto posse à nobis in hoc mundo cognosci, quæ sit, & quanta exaltationis gloria, ad quam Christus est euectus.

5. Si enim teste Joanne, tum demum, quando in gloria Christus apparuerit tandem, videbimus eum, sicuti est; aut ut Christus ipse loquitur, tum, quando cum ipso fuerimus, videbimus demum gloriam eius, quæ à Deo ipsi data est: imò si nomen Gloriæ, quod accepit Christus, est super omne nomen, quod nominatur non tantum in hoc seculo, sed etiam in futuro: plenam eius gloriæ notitiam in huius vitæ angustias minimè cadere, satis manifestum est.

6. Ut summo odio digna sit eorum *ὕψιστος*, qui ingenij humani modulo fastigium istud sublimitatis metientes, quicquid cum rationis humanæ metro non congruit, id ex albo exaltationis, & censu gloriæ Christi expungendum esse contendunt.

7. Qua impietate facilè abstinerent, si pensi haberent id quod est severe partim, partim magnificè à Propheta predictum de Christo, Qui scite ab homine, cuius Spiritus in naribus eius est: quia **EXCELSVS** reputatus est ipse.

8. Magnificentius tamen excelsum istam in præsentibus capite Propheta expressit, Exaltabitur, inquit, Eleuabitur,

Matt. 23.

12.

Luc. 1.

52.

Luc. 14.

11.

Luc. 18.

14.

Luc. 24.

26.

Philip. 2.

8. 9.

1. Ioh. 3.

2.

Iohan. 17.

24.

Ephes. 1.

21.

salubris

tur, & sublimis erit valdè: haud dubiè verborum congerie ista usus, ut quavis etiam dicendi facultate, fastigium illud gloriæ Christi superius esse ostenderet.

9. Scriptura vocabulo Gloriæ Ioan. 1. 14. Ioan. 2. 12. Glorificationis & clarificationis Ioan. 7. 39. & 12. 16. Act. 3. 13. Ioan. 12. 23. Ioan. 17. 5. Vnctionis Psalm. 45. 8. & 89. 21. Esa. 61. 1. Act. 4. 27. & 10. 38. Hebr. 1. 9. Dominij Act. 2. 36. Maiestatis Heb. 1. 3. & 8. 1. & similibus: inprimis tamen Exaltationis verbo Esa. 53. 1. Act. 2. 33. Act. 5. 31. in uno Apostoli, sed primario loco Phil. 2. 9. ὑπερυψώσεως etiam appellatione mysterium istud exprimit.

10. Iustinus Diuinam dignitatem: Cyrillus Diuinæ Maiestatis dignitatem: Damascenus θεώσιν καὶ λόγωσιν: Athanasius ἀποθέωσιν: Gregorius Nazianzenus ὁμοθείαν appellare istam Christi exaltationem non dubitavit. Cætera nomina quibus Exaltationem istam orthodoxa antiquitas insigniuit, penè infinita sunt.

11. Sic autem appellatur partim respectu exinanitionis; partim comparatione aliorum quorumuis tam angelorum, quàm hominum: partim denique propter dona & prærogativas, quas tantas accepit, & quibus usque adeo est euectus Christus, vt & præ alijs omnibus Angelis atque hominibus emineat; & super ea, quæ sunt in mundo omnia, exaltatus sit.

Heb. 1.4. 12. Vnde non est obscurum colligere, quid Exaltationem Christi nuncupemus, nempe eum statum, quo Christus seposita serui forma, in seipso præstantior factus, maiestate ea atque gloria, quam à primo statim incarnationis momento acceperat quidem: sed exinanitionis tempore non nisi rarò usurpauerat, sic frui cepit, cum potestate plenaria, vt Dominus rerum omnium factus declaratusq; & tale nomen denique sortitus sit, quod est super omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo: sed etiam in futuro.

Act. 2.

36.

Phil. 2.9.

Ephes. 1.

21.

13. Quod si horum, quæ diximus, momenta obseruentur, promptum fuerit cognoscere, cui nam & quo modo hæc, de qua disputamus, exaltationis conditio competat.

14. Equidem ad Christum esse eam referendam, non est vsque adeò ambiguum: Sed Diuinitatis respectu, Exaltationem

nem, Christi personæ tribuere, à pia veritate prorsus dissen-
taneum est.

15. Nam, vt Cyrilli verbis vtar, cui humilitas congruit, *Thef. l. 8.*
hic exaltari quoq; dicitur conuenienter. Atqui ex parte na- *c. 1.*
turæ humanæ humiliatus est. Ipsa ergo exaltari quoque in-
telligitur.

16. Imò, vt idem Cyrillus ibidem loquitur, Filius Dei
semper est altissimus, vt Deus. Non igitur cadit in ipsum
vel humiliatio vel exaltatio.

17. Et quantum, quæso, ab Arrianismo absumus, si respe-
ctu Diuinitatis Christo exaltationem tribuimus?

18. Secundum carnis ergo naturam exaltatus, corona-
tus, honoratus, melioris dignitatis nomen adeptus est, qui
secundum naturam Verbi horum nullo eguit aliquando, vt
Vigilius alicubi piè quondam locutus est.

19. Hæc est illa decantatissima orthodoxæ antiquitatis *Lib. 5. con*
sententia, pro qua tuenda, Athanasius cum primis vtilem *tra Eutyche*
Ecclesiæ nauauit operam in refutanda hæresi Arriana, quæ
huic dogmati erat infensissima. Is inter cætera sic reliquit *Orat. 2.*
scriptum, Quod dicitur, Exaltauit eum: non substantiam Ver- *cont. Ar-*
bi exaltatam significat (fuit enim & semper est æqualis Deo) *rianos.*
sed ad Humanitatem eius spectat. Neque ista prius dicta
fuère, quàm tum, cum iam Verbum caro esset factum, vt
palàm fieret, illud (Humiliauit) & illud (Exaltauit) de ho-
mine dictum esse. Cuius enim est humilem esse, eius quoq;
fuerit exaltari: Et si ob assumptionem carnis, hoc verbum
(Humiliauit) est scriptum; clarum manifestumque est pro-
pter eandem carnem illud (Exaltauit) vsurpatum esse.

20. Cyrillus proluxa disputatione hanc quæstionem per- *Thef. l. 8.*
secutus, Exaltationem de Christo dici non secundum Verbi *c. 1.*
naturam, sed secundum incarnationis mysterium: Item gra-
tiam & exaltationem Christo, sicut homini & propter car-
nem accidere enuntiat.

21. D. Hieronymi sententia est de Christo, Quia se af- *SuperPhi-*
sumptus homo humiliare dignatus sit: à Diuinitate (quæ hu- *lip. 2. T. 9.*
miliari non possit) eum, qui humiliatus fuerat, exaltatum *fol. 364.*
esse. Et hæc quidem super locum Apostoli Philip. 2. com-
mentatus, locum istum secundum humanam naturam recti-
us intelligi, quàm secundum diuinam, ingenuè concedit.

Contra 22. Augustinus in qua forma Christus crucifixus sit, ead-
Maximi dem exaltatum esse, & iuxta eandem illi donatum esse no-
num l. 2. men, quod est super omne nomen, libenter largitur.

c. 5. 23. Leo Magnus Exaltationem eam, qua Deus exaltauit
Epist. 18. Christum, & donauit illi nomen super omne nomen, ad eam
ad Palesti- pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis
nos. augmento, disertè admonet: Et alibi, si λόγος exaltatus
Epist. 22. statuatur, talia sentientem in societatem suam rapere Arri-
um, palam pronuntiat.

Orthodox 24. Huius generis cum sexcenta sint in scriptis orthodo-
Consens. xorum Patrum testimonia; facebant nouatores, qui Christo
ep. Apol. exaltationem ex parte Diuinæ naturæ ascribere nostro et-
B. 3. fac. 1. iam seculo non reformidant.

25. Cæterum Natura humana Christi τῷ λόγῳ hyposta-
tice vnita, primo quidem statim Incarnationis momento
summè exaltata est. Maior enim sublimitas dari creaturæ
nequit, quam in vnum cum Deo personaliter coalescere.

26. At verò quia ex Oeconomia salutis nostræ, humilia-
tione & seruili statu ad tempus opus fuit: Primaria hac exal-
tationis gloria frui Christum, non contigit, nisi interpolatis
actibus: donec consummato redemptionis nostræ opere exi-
nitione defunctus, victor ex mortuis redijt.

27. Postquam illa seruili forma deposita ad pristinz glo-
riæ vsurpationem in resurrectione à mortuis redijt: itidem
exaltatus seu glorificatus esse dicitur.

Matt. 16. 28. Hanc exaltationis vicem intellexisse putatur Chri-
stus, cum in concilio Sacerdotum diceret, Amodò videbitis
64. Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Hilario enim
in Psal. 2. teste, Filius hominis amodò assidens à dextris videndus dici-
tur, quia natura carnis post resurrectionem glorificata, ad
perfectum eius, quam antè habuerat, claritatis euehebatur.

29. Plenissimè tamen exaltatus perfecta gloriæ fruitio-
ne dicitur Christus, cum subuectus ad cælum, dextera Dei ex-
altatus, & ad dextram Maiestatis in excelsis collocatus fuit.

30. Quò Prophetam respexisse ter gemina illa verbo-
Act. 2. 23. rum variatione Lyra autumat, cum inquit, Exaltabitur, Ele-
Ac. 5. 31. uabitur, Sublimis erit valdè. Nam cum inani βασιλογία
Phil. 2. 9. lusisse Prophetam non sit vero simile, primo verbo, Incarna-
Heb. 1. 3. tionis, secundo resurrectionis; tertio, sessionis ad dextram
Dei

Dei gloriam atque exaltationem notatam fuisse Lyra haud
inscite annotat.

31. Non quod alia atque alia fuerit gloria, qua Christus
diuersis temporibus exaltatus sit: sed quia ex certa dispensa-
tione, diuersus eius usus fuit: & quia diuersis temporibus ea-
dam exaltatio aliter atque aliter in sensus nostri observatio-
nem incurrit. Vt vera hic quoque sit Augustini regula, Multa
tum dicuntur fieri, cum incipiunt fieri manifestiora.

32. Propheta tamen noster ut *παθολογίας* adus copiose
persecutus est: ita *δοξολογία* etiam luculenta instituta, gra-
dus seu partes *ὑπερψώσεως* complures exponit.

33. Ac primò quidem de angustia seu carcere, ac de iu-
dicio Christum sublatum esse inquit, magno quidem inter-
pretum consensu, gloriam Resurrectionis quasi cum *Ἰπινίς*
iubilo significans, sed quo respectu eam euasione ex carcere
& iudicio comparet, controuersum aliquibus in sensu inter-
pretationis relinquens.

34. Et verò Infernum Carcerem à Petro appellari, non
est obscurum, ut hinc cum victoria rediturum esse Christum,
Propheta innuere uelle aliquibus uisus sit: quibusdam laxio-
rem angustiae seu pressurae uersionem, hoc est, afflictionum
in genere, sensum magis approbantibus.

1. Pet. 3.
19.

35. Tutius sentire videntur, qui sententiarum istarum
non pugnantium, sed diuersarum combinatione facta, victo-
riae trophaeum Christo statutum esse à Propheta dicitant,
haud absimile illi Apostolico, Vbi est o mors stimulus tuus?
vbi est, inferne, victoria tua? ut sensus sit, victoria resurrectio-
nis suae sic exaltatum esse Christum, ut deinceps non tantum
aduersus omnes portas inferorum; sed omnium etiam ad-
uersitatum molestias secure triumphet.

1. Cor. 15
55.

36. Secundum Exaltationis gradum uerba mox sequen-
tia continent, Generationem eius quis enarrabit? quae uer-
ba, priscorum ferè omnium interpretum mentem secuti nos,
ad generationem Messiae Filij Dei inenarrabilem, hoc est,
aeternam, referimus.

37. Continetur igitur isto loco illustre Diuinita-
tis MESSIAE testimonium: Nam si generatio eius non
tantum futura est quaedam in tempore humilis & de-
specta,

specta,

specta: sed eius etiam talis fuit generatio, quæ enarrari nequit, hoc est, cuius neque tempus dari potest, in quo; neque materia creata dici, ex qua: neque locus ostendi, quo: neque modus denique explicari potest, quomodo genitus sit, ut genitus nimirum intelligatur, cum nec tempus, nec locus, nec creatarum rerum in natura quicquam fuit: quid consequens est aliud, nisi ab æterno fuisse illum genitum? Ab æterno autem cum non fuerit nisi Deus, à quo genitus sit oportet, qui est in sese simplicissimus: ut eiusdem cum Patre substantiæ sit Filius, firma necessitate efficitur.

38. At quid hoc ad exaltationem Christi inquiet aliquis, quæ in tempore facta, ad naturam, quæ in tempore generata est, referenda dicitur? Ratio dicti hæc esse videtur, ut generationis æternæ facta mentione, sempiternam deinceps Christi conditionem etiam fore innuat, hoc sensu, Resurrecturum Christum non ut alios, quibus mors denuò oppetenda sit, si corruptionem nondum viderint, ut homogeneus sit ortui ex terra, eorum etiam interitus: sed resurrecturum, primò non visa corruptione, Psal. 16. 10. deinde ut nunquam amplius moriturum, sed æternum victurum, quia nimirum is sit, cuius ab æterno etiam generatio facta sit.

39. Secundus ergo Exaltationis his verbis indicabitur, qui est ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία. Christus enim à mortuis excitatus, quamuis nondum visa corruptione, non amplius tamen moritur: Mors ipsi non dominatur amplius; Quod enim mortuus est (non naturæ: sed) peccato mortuus est semel. Quod autem vivit, vivit Deo, ut est præclare ab Apostolo proditum.

Rom. 6.
9. 10.

40. Tertio Exaltationis gradu Messias posita pro peccato anima sua, visurus semen longævum dicitur. Credentium autem cætus & Ecclesia intelligitur, quam Christus opere redemptionis defunctus, per Ministerium Apostolorum, & prædicationem Euangelij ex genere humano collectam, in terris habiturus, eandemque æternum beatus sit.

41. Seminis vocabulo partim multitudo notatur credentium, partim conditio. Nam ut semina non sigillatim nascuntur: sed copiosè proueniunt, & magno cum fœnore: ita Christi Ecclesia frequens futura innuitur. Et ut semina natura

turam

turam suæ speciæ imitantur, ex qua proueniunt, nisi quatenus artificio humano aliqua sit diuersitas; ita, excepto Personæ priuilegio, nos similis cum Christo conditionis spe luculenta fruimur.

42. Longauitatis verbo, conseruationis promissio euidentis continetur. Furant igitur tyranni, sæuiant persecutores; Ecclesiam tamen nihilo magis extirpabunt, quam vel Christum uisione sua priuabunt, vel fructum ipsum unde semen istud natum est excident; vel Christum gloria exaltationis suæ vnquam exuent.

43. Quarto exaltationis gradu, Voluntas Domini, per manum eius expedienda, id est gubernationis ac dominij vniuersalis potestas Messia conferenda esse dicitur.

44. Hanc partem exaltationis symbolum Apostolicum ex S. Scriptura, figurato, Sessionis ad dextram Dei, sermone explicat.

45. Sessione ista non notatur Physica locatio, vt fit in Solomonis historia: sed virtutis, potentia, maiestatis, & gloriae communicatio, quæ ad gubernationis vniuersalis potestatem necessario pertinet. 3. Reg. 2.
19.

46. Hinc Petrus de Iesu ad dextram Dei exaltato asserit, quod Deus illum fecerit DOMINVM. Λόγος, qui & Filius Dei, semper erat Dominus, neque post crucem demum factus est DOMINVS, vt Athanasius loquitur: talis enim ab æterno fuit GENITVS. Sed quod FACTVS DOMINVS etiam Christus dicitur, exaltatio hæc, Christo ex parte Humanitatis collata, significatur. Act. 2.
36.
Contra
Apolind-
rium.

47. De huius exaltationis sensu & sublimitate Christus ipse post resurrectionem dicit, Data est mihi omnis potestas cum in cælo, tum in terra. Matt. 28.
18.

48. De eadem Psaltes præfagijt, Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo autem, quod omnia subiecit ei, nihil dimisit, teste Apostolo, quod ipsi non subiectum sit: excepto eo, qui subiecit ipsi omnia. Psal. 8.
7.
Heb. 2. 8.
1. Cor. 15
27.

49. Nam quemadmodum creationis initio omnia per Verbum, id est Filium suum Deus condidit, sic, vt sine ipso factum sit nihil eorum, quæ sunt facta: ita postquam redimendi generis humani partes idem in se suscepit, in hunc v-
B sum

sum assumptam carnem humanam non ita in cælum auexit,
& ad dextram Dei collocavit, vt quemadmodum de Deo E-
picurus cogitat, Christus humanitate sua iam nihil agat, nulla
opera molitur, sua sapientia & virtute gaudeat, habeatq; ex-
ploratum, fore se semper tum in maximis, tum in æternis vo-
luptatibus: sed cum officia Messia omnia in Ecclesia in his
terris militante exercenda, iam post exaltationem λόγῳ
cum humana natura efficit: tum sic eam in dominio rerum
creatarum omnium constituit, vt in cælo pariter ac terra
non absens (quod infirmitatis foret) sed præsentissimas po-
tenter dominetur, & huius etiam gubernationi atq; imperio
omnis potestas & dominatio, & omne nomen, quod nomina-
tur non solum in hoc seculo: sed etiam in futuro, subiaceant.

psennisi.

*Ephes. 1.
21.*

50. Trifariam in hoc exaltationis gradu describendo ho-
diè ab aliquibus erratur. Primò gloriam istam dominij ad il-
lud duntaxat officium aliqui redigunt, quò Christus in Eccle-
sia fungitur.

51. Equidem hanc partem ab exaltatione Christi non
omninò seiungimus. Sed ne pro vno & eodem ista habeantur,
illud prohibet, quod partim duratione: partim obie-
ctis: partim administrandi modo inter se ambo ista longissi-
mè dissident.

52. Officij partes momentaneæ sunt, & ad tempus dura-
biles, adeò vt hæc, Regni etiam appellatione insignitas, tan-
dem Patri tradendas Apostolus asserat. 1. Corinth. 15. 24.
Potestas regni, quod gloriam & exaltationem Christi con-
cernit, sempiterna est. Dan. 7. 27. Luc. 1. 33. Ephes. 1. 27.

53. Officij munus ad pios tantum & credentes pertinet?
potestati regni ipsius ipsi etiam demones subiacent.

54. Officium misericordia & gratia peragitur: potestas
gubernationis, iudicio etiam & iustitia administratur.

55. Secundus eorum error est, qui istam vniuersalis
dominij potestatem Christo non quâ homini: sed quâ Deo
duntaxat ascribendam esse contendunt.

56. Huic errori validissimè resistit, quod ad classem ex-
altationis ea à S. Sancto passim refertur: quod accessoria in
tempore hæc potestas est: quod FACTVM, non per na-
turam ESSENTIALE hoc dominium appellatur: quod
acceptum esse, & principium sui externum habere dicitur.

Tam

Tum ergo demum diuinitatis propria esse hæc gubernationis potestas concedetur: si his characteribus notari posse Diuinitatem, hoc est, non esse, quod est, probabitur.

57. Tertius eorum error est, qui Christo ex parte Humanitatis Mediam ac finitam potentiam esse traditam dicunt. Atqui hoc est in os ipsum Christo obloqui, dicenti, omnis mihi tradita est potestas, in cælo ac terra. At media hæc aut creata non est. Iam potestas illa, est potestas dextræ Dei, imò dextræ Maiestatis in excelsis seu in cælis Ebræ. 1. 3. & Ebræ. 8. 1. Hæc verò rursus finita non est. Ad hæc voluntatis diuinæ opera infinita per finitam potentiam expediri nequeunt. Christus autem sua manu hoc est, potentiâ, istæc expediturus dicitur. Deniq; hæc potestas est, qua Ecclesia Christi & regnum eiusdem constitutum est, & ad finem mundi vsq; gubernabitur, quaq; nos conseruamur singuli. At creatæ potestati & finitæ tanta beneficia ascribi nequeunt. Faceßat ergò quicquid diuinæ potestate minus in exaltationis gradu isto, Seruatori nostro tribuitur.

Matt. 28.
18.

58. Quintus exaltationis gradus breuissimis verbis explicatur, sic habentibus, Videbit, & saturabitur. Visurum, a- iunt interpretes, Christum esse, in redempto saluatoq; Eccle- siæ suæ cætu cum laborum suorum fructum, in quo suauissimè & plenissimè acquieturus sit.

59. Curiositatem sapit, & *Ἐυδώνυμον γυνώσκειν*, non pie- tatem, quod hinc materiam disputandi captant aliqui, Num Christus operibus & laboribus suis non nobis solùm, sed sibi etiam gloriæ & felicitatis aliquid promeruerit?

Lov. Sen.
l. 3. Dist.
19.
Bella. con.
2. l. 5. c. 2.

60. Quid Christo in causa beatitudinis, iure ipso diuini ordinis competat ex laude sanctitatis & iustitiæ, qua valuit exquisitissima, nemo pius non intelligit. Verùm huc meriti ratio non pertingit, nihilo magis, quàm eadem in Angelis si- mili in causa locum non habet, aut habitura fuisset in Paradi- so apud homines, si in innocentia perstitissent.

Phil. 2. 9.

61. Maiestatis & gloriæ diuinæ nomen, non ad meriti classem, sed doni à Deo Patre ordinè ab Apostolo refertur.

62. Cætera nobis factus, nobis natus, nobis datus esse, no- bis itidem venisse Christus piè creditur, nisi quibus iustitia Christi sordescente, per merita propria iustitiam suam statue- re placet. Quæ est illa Dalila, propter quam in Christo etiam, meriti alicuius exemplar statuere, Pontificijs libet.

Esa. 9. 6.
Mat. 21.
63. 5.

63. Maior est in eo salutis nostræ dignitas, maior itidem vis ad quævis consolationum momenta, quod tanta Christum redemptionis nostræ voluptate affici locus iste inuuit, vt in ea primariam felicitatis suæ partem positam esse existimet.

64. Sextus exaltationis gradus in eo consistit, quod Messiam seruum Dei, scientia sui, multos iustificaturum esse inquit Propheta, portando nimirum peccata ipsorum.

65. Quod non Scripturæ canonicum vsus: sed Grammatica ductum in re maximè sacra secuti Iesuitæ, iustificandi verbo cum affingunt sensum, vt significet, infuso habitu, ex iniusto iustum facere, atque in eo belli homines palmarium etiam sibi inuenisse videntur: id stolidum figmentum præter sexcenta Scripturæ loca, præsens etiã locus perspicuè refellit.

66. Quod enim causis iustificationis explicatis omnibus, & formam, & meritum, & organum eius tale statuit, quod non ab infuso habitu discrepat tantum: sed cum eo è diametro pugnat etiam: id hoc commentum à iustificationis negotio alienum prorsus esse, euidenter ostendit.

67. Augustius in hac causa alterum illud est ad redarguendam cæcitatem Romanensium, quod Christo seruo Dei & quidem sub censu exaltationis istam gloriam iustificandi homines tribuit.

68. Si qui ergo vel suis, vel aliorum quorumcunque hominum seu viuentium, seu mortuorum meritis hoc tribuunt, vt his iustitiæ laudem obtineant, quod triuialium etiam quorumuis monachorum putidissimis quibusque operibus in Papatu tribui plus satis notum est, ab his sacrilegium, cum læsa Maiestatis crimine in Christum coniunctum committi, affirmare non dubitamus.

69. Seruo autem isti seu Filio Dei non tribuit, quod iustitia nostra sit solummodò secundum Diuinam naturam.

70. Hoc enim pugnet contra vsus, finem & officium assumptæ carnis. Si enim Diuinitas sola iustificare potuisset, vel voluisset, nihil opus fuisset assumpta carne.

71. Iam hoc commentum cum ipsa natura diuinæ iustitiæ atque ipso mediationis opere è diametro pugnat. Nam illi satisfieri nequit, nisi & obedientia legis in agendo, & satisfactione pro admissis peccatis in patiendo plena præstita. Pati autem, Diuinitas ac mori non potuit. Mediatio verò fieri
inter

inter Deum & hominem non potuit, nisi à medio, hoc est, à tali persona, quæ ab utraq; dissidentium parte pariter distaret & alteri quàm alteri natura ipsa nihilo esset iunctior. Igitur humana etiam natura in hoc beneficio præstando opus est.

72. Et hoc intendere videtur voluisse Propheta, cum expressè serui meminit, sic naturam illam asciscens huic operi, quæ seruili conditioni proxima, eidemque destinata est præcipuè, humanam scilicet.

73. Sed nec is à Propheta nostro probatur error, qui est huic è diametro oppositus, Christum esse iustitiam nostram tantummodò iuxta humanam naturam. Sic enim quod magis absolum est, à tanti operis dignitate diuinitas vacatura esset, vt superuacanea videri queat Filij Dei incarnatio. Imò sic etiam ab inferis Nestorianismus reuocaretur.

74. Cui est vicinus Lombardi; qui quæ ex Lombardo nuper à Iesuitis restauratur error ille, quo toti quidem personæ tribuitur Iustificatio, sed eo sensu, quasi principium quidem, Quod operetur actionem istam, non sit Deus solùm, vel homo solùm; sed vtrumque simul: Humana autem natura in Christo duntaxat sit Principium, Quo ceu organo, Iustificationem Christus operetur.

Lombard.
l. 3. dist. 9.
Bellarmi-
nus l. 1. f.
564.

75. Differt enim ab alijs personæ huius operibus ac miraculis etiam, hoc genus ἀποτελεσματων, & θεαυδεικον in specie sic appellatur, Propterea quod ενεργητικη in hoc genere actionum est vtraque natura, licet operum aliorum Diuinitatis in Christo nullum fiat, nisi conscia mente & conformi voluntate Humanitatis.

76. Verùm personæ Christi, quæ duabus naturis constat, hoc Iustificationis ενεργημα tribuitur: idq; non respectu vnius naturæ vel Diuinæ, vel Humanæ: sed respectu vtriusque: neque hoc diuersimodè, sic vt; Diuina quidem ενεργητικως, humana autem natura οργανικως sese tantùm in hoc apotelesmate habeat: sed efficienter vtraque; illa quidem ex proprietate naturæ; hæc autè ex beneficio gratiæ, quod per vniõnem personalem & exaltationem, propter idem & commune Mediationis atque redemptionis officium, ipsi contigit Organica iustificationis causa, quò ad nos, vocabulo cognitionis seu Scientiæ exponitur, cum Messias cognitione sui multos iustificaturus dicitur. Intellegitur autem, Fides, inter-

770

prete Christo Ioannis 17. 3. & 8. non historica, quæ nuda
duntaxat constat notitia, & historię assensu: sed Euangelica.
Scientia hęc dicta, tum, vt salutis, quæ est per illam, certitu-
do notetur: tum vt à meritis operum, & ciuilibus iustitię con-
ditione, salutis & iustificationis Christianę negotium seiun-
gatur. Quam enim vel sciendo iustus, vel operando sciens in-
eptè aliquis vulgò diceretur: tam est absolum, proprijs me-
ritis, & habitu atque operatione proprię virtutis, salutem
& iustificationem Christianam metiri velle.

77. Porro multos Messias iustificaturus esse à Propheta
dicitur. Multos quidem in sese: paucos verò, comparatione
pereuntium. Et multos dicit ἀορίστως, omni determinatione
gentis, sexus, conditionis & similibus ommissa. Igitur προσωπο-
ληψία in Christum non cadit, nec topica aut personalis est,
quæ per illum fit redemptio. Nec multos sic dicit iustifican-
dos, quasi aliqui aliter iustificandi sint (omnes enim eadem
gratia saluari, eodem modo iustificari credimus) aut quasi hoc
ab occulto electionis decreto pendeat, vt non iustificentur om-
nes: sed vt euentus notetur. Beneficium enim Christi omni-
bus oblatum, non ab omnibus accipitur.

Act. 15.
11.

78. Tandem forma iustificationis describitur à Prophe-
ta. Dicitur enim Messias iustificare multos, portando ipso-
rum peccata. Portauit autem peccata nostra Christus, partim
reatu eorundem ipsi imputato (qui enim peccatum non no-
uit, eum Deus pro nobis peccatum fecit) partim supplicijs ei-
dem inflictis, quæ erant peccato debita.

2. Cor. 5.
21.

79. Vtriusque respectu, remissione peccatorum nos
potimur. Ipso enim etiam diuino iure imputari nobis pecca-
tum nequit, cuius reatus & pœna Christo incubuit. Bis enim
in idem peccatum animaduerti, eundem peccati reatum à di-
uersis sustineri, nulla fert iustitia. Sic igitur nos propter Chri-
stum à peccato immunes euadimus.

Rom. 5.
19.

80. Sed accedit formę huic iustificationis pars etiam al-
tera. Nam quia legi plenam obedientiam, obseruantia perfe-
ctissima Christus præstitit, nobis itidem, vt reliqua omnia,
bono: hinc etiam formę iustificationis nostrę pars accedit, O-
bedientia enim vnus iusti constituuntur multi: Verum ne hoc
quidē infuso habitu, sed imputatione: sic vt quemadmodū Chri-
stus pro nobis peccatum fuit, realiter quidem; sed nec habitu
infuso

infuso, neque per essentiam: verum sola imputatione: simili-
ter iustificationis nostrae forma, vtraque sui parte, sese habeat,
istinc quidem, per remissionem peccatorum non imputatis
peccatis, quae re ipsa insunt: hinc imputata iustitia obedi-
entiae Christi, quae re ipsa tamen non nobis, sed Christo soli inhaeret.

81. Non superest modus, quo nunc iustificemur, in natu-
ra rerum alius. Deus enim per naturam & essentiam iustus est.
Protoplasti ante lapsum habitu ingenerato iusti fuerunt; sed
mutabili. Quo etiam primitus iusti fuerunt Angeli. Qui in in-
nocentia permanserunt, iam quidem ad habitum iustitiae con-
firmati sunt immutabilem, sed non immutabilem per essentiam
(hoc enim solius Dei est) sed per gratiam. Quem crebris actio-
nibus, comparatum iustitiae habitum vrgent nonnulli, is est totus
impossibilis. Actiones enim metiendae sunt virtutum habitibus.
Atqui iuste agere potest nemo nisi iustus. Iustitia igitur actioni-
bus iusti prior sit oportet, Et ut loquitur Augustinus opera bo-
na non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Iu-
stitiae igitur modus nullus superest, aut cogitari potest, quam
is, quem Diuina inuenit sapientia, ut imputatione essent iusti
propter Christum, quotquot in nomen eius crederent.

82. Nec imaginarium est ac vanus tantum λογισμός, aut
glacie quauis frigidius, vel à diuini iudicij veritate alienum,
quod de Imputata Iustitia ex Scripturis dici solet.

83. Primum enim λογισμός iste imputationis, non est hu-
mani animi imaginatio, quae friuola esse potest: sed sedem ac
fundamentum habet in mente ac voluntate diuina, quae est
summum rerum, quae sunt, omnium principium.

84. Deinde respectum habet ad satisfactionem & obedi-
entiam Christi Mediatoris, qua iustitiae Dei vnde quaque satis-
factum est.

85. Denique haec forma iustificationis aduersus inhabi-
tantis peccati luem, & quotidiana, etiam sanctissimorum
quorumuis, delicta, firmissimam consolationis materiam ha-
bet, quia nondum inhaerens, nec infusa, sed imputata duntax-
at esse iustitia nostra, qua Deo placeamus, dicitur.

86. Postremus Exaltationis gradus in largitione dono-
rum consistit, quae Christo victori, Deus ἀγωνοθέτης tribuit.
Introducitur autem à Propheta ipse Deus loquens, in hunc
modum, Dabo ei partem in multis.

Quod

87. Quod de gloria donorum danda loquitur Deus, in tempore accessoriam, & non naturæ, sed gratiæ eam esse propriam haud obscure innuit: communicatam igitur Humanitati Christi gloriam indubitatè intelligit.

88. Et nihil absurdi dicitur, si hinc Patri tribuatur gloriæ huius ac donorum dignitas, quam alioquin Christus à seipso i. Humanitas à Diuinitate accepisse dicitur. Opera enim Trinitatis externa non sunt exclusiue intelligenda. Ordo igitur ostenditur, cum quod Deus Pater largitur, Humana natura in Christo ex vnione cum hypostasi τὸς λόγος accepisse scribitur.

89. Dona autem & præmia Christo danda, Partem appellat Deus, non quod minuta sit futura gloria, qua Christum Pater coronaturus est (statim enim diuersum multitudinis voce testatur Deus) sed quia aliunde obuentura i. non essentia & naturæ, sed communicationis & gratiæ propria futura innuitur.

90. Pars autem illa in M V L T I S fore dicitur. Si quænam illa pars in multis sit, ex Sacramentarijs rogetes, dona hyperphysica recensent, beatorum in glorificatione propria: sed copia, numero, præstantia, gradibus maiora in Christo, quàm sint in omnibus non tantum electis: sed etiam Angelis: finita tamen, mensurata, habitualia, & à Diuinitatis gloria toto genere diuersa: sic Medioximum quasi numen ex Christo, & partem eius minutam atque accisam valdè facientes,

91. Atqui pars hæc in Scriptura aliter definita legitur. Nam Spiritus (autore pro donis posito) non ad mensuram Christo datus dicitur Ioan. 3. 34. Viderint illi ἀγαμέτρητοι, quomodo suam mensuratam partem hinc velint elicere. Iam ad eandem partem Scriptura pertinere dicit 1. παντοκρατείαν, de qua supra Gradu exaltationis tertio dictum est 2. Eodem refert παντοδυναμίαν Matth. 28. 18. 3. Iudicium omne in viuos ac mortuos Ioan. 5. 22. quod πανεπιστήμην καὶ καρδιογνωσίαν necessariò præsupponit 4. Viuificationem, mundationem à peccatis, Iustificationem & similia. Ex qua Genesi habeant illi, dona hæc est creata, cum non habeant ex Mosaicæ; diuinatū facile est. Nos rectam mentem & piam fidem hominibus istis ex animo precamur. Si hanc ipsi repudiant: vt nobis molesti esse desinant conuitijs suis, dum nos de Domini nostri Iesu Christi dignitate atque exaltatione sublimia & honesta sapere in animum induximus, sedulo flagitamus. Si nec isto beneficio potiri ab istis possumus, colophonis loco hoc illis iterum inculcatum volumus, quod est à Propheta edictum grauissimè,

Es. 2. 22.

Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est: Quia Ex-
celsus reputatus est ipse. Cui sit à nobis gloria, benedictio, laus, & exaltatio in omne æuum, AMEN.

F I N I S.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793




Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO
MENSTRVA SECVNDA.

DE CHRISTO

EXALTATIO EXESA.

LIII. CAPITIS PARTE AL-

TERA PROPOSITA. IN QVA

Deo vno Trinoque adiuuante, sub praesidio GI-

ORGII MYLII D. & Professoris Theologi

M. MATTHAEVS HENRICVS Au-

gustanus VI. Iunij loco & hora con-

suetis, exercitij gratia respon-

dere conabitur.

August. de fide & Symb. c. 6.

Non est quidem fragilitatis nostra, calorum secreta discutere;

Sed & fidei nostra est, de Dominici corporis dignitate

sublimia & honesta sapere.



F E N A

Typis Tobia Steinmanni. 1589.